



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

Archiepiscopo Et Capitvlo Strigoniensi.

urn:nbn:de:hbz:466:1-20020

324 Epistolarum Innocentij III.

sumperit, indignationem omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursum. Cunctis autem vobis ius idem servantibus sit pax Domini nostri Iesu Christi; quatenus & hic fructum bona actionis percipient, & apud districtum judicem premia aeternae pacis inveniant. Datum Laterani per manum Iohannis sanctæ Mariae in Colmidin Diaconi Cardinalis S. R. E. Cancellarij, Indictione XII. Idibus Maij, incarnationis dominice anno M C C I X. pontificatus vero Domini Innocentij Papa II L. anno duodecimo.

ARCHIEPISCOPO ET CAPITVLO Strigonienſi.

Epiſt. 43.
De eadem re.

Sollicitudinis nostræ debitum exigit ut cum ad universalis Ecclesiæ regimen sumus Domino difponenti vocati, sua jura servemus quibuslibet illibata, illos apostolico patrocinio munientes, ne super eis perpeti valeant calumnias malignorum. Inde est, venerabilis frater Archiepiscopi, quod olim tuis precibus annuentes, jus quod à bona memorie Alexandro Papa prædecessore nostro & inclite recordationis Bela Vngarorum Rege ac Ecclesiæ Colocensi, videlicet ut Vngarici Reges ab Archiepiscopis Strigonienſibus semper debeat coronari, Strigonienſi metropoli fuit manifestè recognitum, sicut in eorum authenticis contineatur, & felicis recordationis Clemens & Celestinus prædecessores nostri suis litteris confirmarunt, jus quoque quod habes in conferendis ecclesiasticis sacramentis Regibus & Reginis Vngaria ac heredibus eorundem, & jurisdictionem ecclesiasticam quam in Præpositos & officiales Regiæ domus habes, quam idem prædecessor noster Celestinus Ecclesiam Strigonensem habere decrevit, jurisdictionem etiam quam obtines in præposituris & abbatis regalibus Ecclesiæ Strigonienſi per Vngariam ubique subiectis, decimas infuper, primitias, & incensum quæ de camera Regis Ecclesiæ memoratae debentur, sicut omnia de ratione vel consuetudine ad Ecclesiam tuam pertinere noscuntur, tibi tuisque successoribus auctoritate curavimus apostolica confirmare. Volentes igitur ea quæ per nos & prædecessores nostros vestrae sunt Ecclesiæ confirmata eidem in perpetuum illibata servari, auctoritate præficiemus ium districtus inhibemus ne vos vel ipsam Ecclesiam super eis præsumat quicquam temere molestare. Nulli ergo omnino hominum

liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere vel ei ausu temerario contrarie. Si quis autem hoc attentare præsumperit &c. usque incursum. Datum Laterani VI. Idus Maij, pontificatus nostri anno duodecimo.

EPISCOPO ET MAGISTRIS
P. Circulatori majoris Ecclesiæ & .. Canonicis sancti Salvatoris Metensis.

Constitutis in præsentia nostra Hysembardi monacho & procuratore Abbatis sancti Vincentii Metensis dilectum filium A. Subdiaconum & Capellanum nostrum concessimus auditorem. Coram quo monachus proposuit memoratus quod cùm olim infra annos existens in monasterio Bellipratii Cisterciensis ordinis monachalem habitum suscepisset, & fuisse ibidem aliquandiu conversatus, tandem per Abbatem loci ejusdem ab obseruantia ordinis absolutus, & à parentibus traditus litteribus disciplinis, postmodum fuit ad servitium Metensis Cancellarij evocatus, Tandem vero ad apostolicam sedem accedit, de mandato nostro à præfato Abate receperus extitit in monachum & in fratrem, & ipso & conventu contentientibus præposituram & administrationem, duobus monachis amotis ex ea, fuit regulariter assecutus. Cujus promotioni dicti monachi plurimum invidentes, quadam nocte cum complicibus suis irruentes in eum, ipsum nequier verberarunt, & plagiis impositis abierunt semivivo relicto. Cumque super hoc per Abbatem prædictum suam non posset assequi rationem, tandem querela deposita coram venerabili fratre nostro Archiepiscopo Treverensi, ab ipso & iudicibus assignatis ab eo ad nostram fuit audienciam appellatum, quare à Metensi monasterio violenter ejectus, ab ipsis fuit nequier verberatus, & arrepto itinere ad sedem apostolicam veniendo, dictus Abbas de consilio monachorum ipsorum positis eidem insidiis ipsum capi fecit & rebus omnibus spoliatum carceri mancipatus, à cuius manibus, prout Domino placuit, liberatus, iter quod incepit consummatum, & in nostra præsentia constitutus super prædictis & aliis multis excessibus contra præfatum Abbatem litteris ad quosdam judices impetratis à nobis, ad propria est reversus. Cumque fecisset citari Abbatem, idem ira commotus intempestiva noctis silentio ad domum in qua manebat destinata multitudine armatorum ostia frangi fecit, nec mortis evasisset periculum, nisi

Vide Baron.
ad an 1169.
§. 32.